



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Alifano Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ALIFANO EPISCOPO.

Epist. 72.  
Quod Clericos  
præsumentes  
ipsum ad tribu-  
nal seculare  
trahere, possit  
per excommu-  
nicationis sen-  
tentiam coër-  
cere.

**I** Vltis perentium &c. usque ad ver-  
bum illud assensu. Vt clericos tuos,  
qui contumaces aut inobedientes exti-  
terint, qui etiam in ecclesiasticis causis  
& beneficiis conferendis te per appella-  
tionem præsumpserint ad iudicium tra-  
here seculare, nisi ad monitionem tuam  
ab his præsumptionibus duxerint desi-  
stendum, tibi eos liceat per excommu-  
nicationis sententiam cohercere, aucto-  
ritate tibi præsentium indulgemus. Præ-  
terea, si quid vacante sede usque ad tem-  
pus consecrationis tuæ in præiudicium  
tuum fuit in Alifana Ecclesia temerè at-  
tentatum, liberum tibi sit legitimè re-  
vocare. Datum Romæ.

MAGISTRO ET FRATRIBVS  
Hospitalis Hierosolymitani.

Epist. 73.  
Vt Ecclesie  
Tripolitane  
Ecclesiam de  
Nephin unâ  
eum decimis,  
juxta decretum  
Pontificis res-  
tignent.

**E** A quibus apostolica sedes manum  
diffinitionis apponit, illius volu-  
mus firmitatis stabilitate fulciri, ut nulli  
liceat in scrupulum quæstionis deducere  
quod tantæ sedis est auctoritate statu-  
tum. Sanè venientibus ad præsentiam  
nostram dilectis filiis nostris S. Priore  
sancti Michaëlis & Aimerico canonico  
Tripolitan. nunciis ipsius Ecclesie Tri-  
politane, & super Ecclesia de Nephin.  
& decimis suis, ac tribus calalibus, quæ  
occasione literarum bonæ memoriæ C.  
Papæ prædecessoris nostri vos occupas-  
se temerè asserant, contra vos propo-  
nentibus quæstionem, tam ipsis quam  
nunciis vestris eis se opponentibus ve-  
nerabilem fratrem nostrum P. Portuen.  
Episcopum & dilectos filios Guid. tt.  
sanctæ Mariæ transtiberim presbyterum  
& G. sancti Angeli diaconum Card.  
concessimus auditores: in quorum præ-  
sentia cum ab utraque parte fuisset di-  
utiùs allegatum, & ex fidei relatione no-  
bis super causæ meritis nuda veritas ap-  
pareret, post deliberationem habitam  
inter fratres nostros super his diligen-  
tem, de consilio eorundem decrevimus  
Ecclesiam Tripolitan. in eum statum  
possessionum integrè reducendam,  
quam habuit antequam per venerabilem  
fratrem nostrum Nazarenum  
Archiepiscopum & dilectum filium  
Abbatem Montis Oliveri destinatum à  
venerabili fratre nostro Patriarcha  
Hierosolymitani. occasione mandati præ-  
decessoris nostri, prædictarum rerum

possessio vobis adjudicata fuisset. Ideo-  
que vobis per apostolica scripta districtè  
præcipiendo mandamus, quatenus jux-  
ta quod est sententiarum à nobis, pos-  
sessionem tam Ecclesie de Nephinis,  
quam aliorum quæ superius sunt expres-  
sa, cum integritate fructuum ex eis ab il-  
lo tempore perceptorum, memoratæ  
Tripolitan. Ecclesie, contradictione,  
occasione, & appellatione cessantibus,  
pacificè resignantes, nullam ei super  
eadem possessione violentiam præsumatis  
aut injuriam irrogare, ne in causa  
proprietas propter rebellionem ves-  
tram jacturam positis incurrere gra-  
viorem. Noveritis autem nos venerabili-  
bus fratribus nostris Tyrensi Archi-  
episcopo & Episcopo Sidonien. mandas-  
se, ut si ultra mensem possessionem il-  
lam (quod non credimus) contra sen-  
tentiam nostram præsumpseritis detine-  
re, ipsi vel alter eorum (si ambo nequi-  
verint interesse) auctoritate nostra suf-  
fulti prædictam Ecclesiam de Nephinis,  
cum prædictis omnibus, non obstante  
contradictione vel appellatione cujuslibet,  
Ecclesie Tripolitan. assignent, &  
eam in corporalem possessionem om-  
nium prædictorum inducant, quoslibet  
contradictores, aut nostræ sententie ob-  
viantes, per severitatem ecclesiasticam  
appellatione postposita compescendo.  
Nullis literis obstantibus, præter assen-  
sum partium à sede apost. impetratis,  
Datum Lateran.

ANAGNINO EPISCOPO.

**A**D universalis Ecclesie regimen  
Domino disponente vocati, sic  
Ecclesiarum commodis & profectibus  
volumus (prout debemus) efficaciter  
providere, quod tam in temporalibus  
quam spiritualibus proficere valeant, &  
statum semper debeant recipere melio-  
rem. Inde est quod cum in desiderio ha-  
beas & proposito Anagnin. Ecclesiam  
juxta officij tui debitum in possessioni-  
bus ampliari, & justis modis ejus utili-  
tatibus imminere, gratum nobis & ac-  
ceptum existit, & votis tuis super hoc  
volumus patrocinium apostolicum im-  
pertiri. Quia igitur Castrum Acuti pro  
Ecclesie tibi commissæ utilitatibus com-  
parare laboras, & tam tuæ quam ipsius  
Ecclesie facultates non sufficiunt ad  
pretium exolvendum, ut in præfenti ar-  
ticulo cum toto tuo Capitulo, vel ma-  
jori

Epist. 74.  
Quod liceat ei  
pro emptione  
Castri, Eccle-  
sie bona cum  
voluntate Ca-  
pituli, pignori  
supponere.

jori